



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. I. Quinam possit in matrimonii impedimentis dispensare?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

non potest tollere, & quæ prævisa communiter cordatum quemcumque, ut diximus, a promittendo averteret; atqui in casu nostro non solum non avertit cordatos a votenda castitate difficultas tentationum prævisa, sed etiam talis difficultas a Deo Promissario tolli potest; & de facto tollitur, si orationibus, & jejuniis illa ab eo petatur; ergo in casu nostro tenetur vovens adimplere votum, nec potest licite matrimonium sine dispensatione contrahere: Urgentes autem tentationes, ac difficultates insurgentes possunt quidem esse iusta causa petendi, & obtinendi a Pontifice dispensationem in voto; non possunt tamen esse causa iusta, ut voti obligatio tol-

latur.

IX. Quæritur ultimo; Quisnam possit in impedimentis impedientibus dispensare?

Respondeo, præter Pontificem, posse etiam Episcopum: Excipiuntur tantum non solum vota castitatis, & religionis, sed etiam impedimentum Sponsalium; quod pariter a solo Pontifice dispensari potest, ex cap. *Leiteris*, 2. de *Sponsal.* Et ratio est, quia cum per Sponsalia acquiratur ius Tertio, nullus, præter supremum Principem, potest tale ius auferre; & idcirco Doctores docent, non posse ab Episcopo relaxari iuramentum Tertio præstitum, ut notat Perez disp. 33. sect. 8., & Sanch. lib. 7. disp. 17.

Q U Æ S T I O VI.

De Dispensatione in Impedimentis matrimonii dirimentibus.

EXaminandum primo; Quisnam possit in iis dispensare? Secundo; Quisnam causa requiratur ad licitam dispensationem? Tertio; Quandoenam dispensatio est surreptitia, & nulla?

ARTICULUS I.

Quisnam possit in matrimonii impedimentis dispensare?

- I. Quid interest inter legis Dispensationem, Irritationem, Abrogationem, Derogationem, & Interpretationem?
- II. Privilegium a dispensatione, & a licentia, in quo differant?
- III. Dispensatio in lege Superioris est invalida, si fiat sine causa, sicut etiam interpretatio in lege Divina, puta in voto, aut iuramento, etiamsi fiat a Pontifice.
- IV. Dispensatio stricte est interpretanda; secus vero Privilegium; & Potest-

tas dispensandi universim; non tamen si talis potestas respiciat particulares personas.

V. In impedimentis iure divino dirimentibus Papa dispensare non potest; nisi ea dirimant iure naturali secundario, ut sunt votum, & Sponsalia, ac matrimonium verum.

VI. Num possit Pontifex dispensare, ut Sacrificium fiat sub una tantum specie? Num etiam quod Episcopus non resideat?

VII. Potest Pontifex dispensare in radice matrimonii, legitimando prolem relate ad effectus canonicos, non relate ad civiles.

VIII. Episcopus potest ex causa *urgens* *ijur.*

rissima pro foro conscientia dispensare in aliquo impedimento occulto dirimente, etiam ante contractum matrimonium.

IX. Num id liceat aliquando Religiosis ex privilegio?

I. **P**ræmitto primo, dispensationem esse Juris alicujus relaxationem, seu exemptionem a legis obligatione. Differt autem Dispensatio ab Irritatione, Abrogatione, Derogatione, & Interpretatione legis: quod Irritatio tunc contingit, quando is, cujus est legem confirmare, impedit, quominus firmetur, & vult eam omnino esse irritam; Verbi gratia, si lex a Civibus constituta indigeat Principis confirmatione, ut obliget, & Princeps illam non modo non confirmet, sed casset, & annullat, tunc dicitur illam irritare. Abrogatio habetur, quando quis legem latam omnino tollit: Derogatio vero, cum quis legem jam latam tollit, non simpliciter, sed ex parte. Interpretatio habetur, quando vir prudens, ac doctus declarat, legem hic, & nunc non obligare, aut talem casum lege non comprehendi; idque aut in casu certo, vel probabili, aut in casu dubio, in quo auctoritas Superioris postulatur. At dispensatio habetur, quando quis ab obligatione legis liberatur ex Superioris voluntate, adhuc persistente lege in suo vigore.

Hinc sequitur primo, dispensationem esse actum Jurisdictionis, atque adeo a Superiore dumtaxat provenire posse.

Sequitur secundo, In lege divina non habere locum dispensationem factam ab homine, sed habere dumtaxat locum Interpretationem hominis, etiam in casu dubio; quamvis in casu dubio, præter prudentiam, requiratur jurisdictio in interpretante.

II. Sequitur tertio, Privilegium a-

alicui particulari concessum, si sit contra jus, & illud relaxet, esse revera dispensationem: Contra vero si non sit contra jus, sed sit veluti lex privata alicujus communitatis, tunc proprie dici Privilegium, & differre a dispensatione; hæc enim, ut mox dicemus, stricte; illud vero late interpretandum est.

Sequitur quarto, licentiam non esse dispensationem, sed esse conditionem ab ipsa lege requisitam, ut hic, & nunc non obliget. Quare quando Monachus de licentia Superioris, verbi gratia, domo egreditur, non intervenit tunc dispensatio, quæ dicitur Vulnus legis, sed solum apponitur id, quod lex ipsa postulat, ut licitus sit egressus.

III. Sequitur ultimo, dispensationem legis, & dispensationem voti, ac juramenti relaxationem multum differre; Nam dispensatio in voto, seu juramento habetur per hoc, quod Prælati gerens Dei vices, nomine ipsius Dei, cui jus est acquisitum, relaxet obligationem, interpretando hic, & nunc mentem divinam: Unde fit, & quod invalida sit talis dispensatio, si fiat sine causa, & quod possit in voto fieri commutatio in melius propria auctoritate; Immo probabiliter in evidenter æquale: Contra vero dispensatio legis habetur per hoc, quod superior proprio nomine dispenset, seu obligationem relaxet; Unde fit, & quod, si sine justa causa dispenset in propria lege, valida sit, quamvis illicita talis dispensatio; & quod in quacunque lege non possit fieri commutatio propria auctoritate; verbi gratia, non potest quis loco jejunii præcepti audire plures Missas, aut facere elemosynas; quia lex pendet a sola voluntate Legislatoris, ubi votum ab ipso vovente ducit initium suæ obligationis; & ideo solum votum potest propria auctoritate com-

mutari in melius, & probabiliter etiam in evidenter æquale.

Ubi nota, causam requisitam ad valide dispensandum non debere esse talem, quæ eximat ab obligatione legis; quia sic dispensatio non differret ab Interpretatione; sed debet esse talis, quæ sufficiat, ut possit subditus rationabiliter eximi ab obligatione legis per Superioris auctoritatem.

IV. Præmitto secundo, Dispensationem per se loquendo restringendam esse, ac stricte interpretandam, cum sit vulnus legis, & idcirco odiosa, ut notat Sanch. lib. 8. disp. 1. Excipiuntur tamen nonnullæ dispensationes, quæ ratione materiæ, vel ratione gravissimæ, & piissimæ causæ, omnibus pensatis, censentur esse favorabiles, & idcirco large interpretandæ sunt: Sicut etiam dispensatio in lege præcedenti, quæ sit dispensatio inserta in corpore juris, late interpretanda est; quia censetur favorabilis, seu in bonum communitatis; unde habet rationem Privilegii. Idemque Doctores docent communiter cum Perez disp. 46. sect. 2. de Potestate dispensandi generaliter concessa, quæ pariter favorabilis est, & amplianda: Contra vero potestas dispensandi cum certis personis privatis, quia respicit bonum privatum, non commune, dicitur esse odiosa, cum sit juri contraria, & idcirco restringenda, seu stricte interpretanda.

V. Queritur nunc primo; An possit Pontifex in matrimonii impedimenti dispensare?

Respondeo, Pontificem in tribus impedimentis jure naturæ rigorofo dirimentibus matrimonium nullatenus posse dispensare, videlicet in Erroræ Personæ, Impotentia perpetua, & Impedimento cognationis in primo gradu lineæ rectæ. Nec potest dispensare in impedimento Ligaminis jure divino dirimente matrimonium;

Nam ex cap. *Gaudemus, de Divortio* habetur, nunquam licuisse citra dispensationem, seu concessionem divinam, quod ligatus cum una uxore alteri nuberet. In reliquis vero impedimentis sive dirimentibus, sive impedientibus potest Pontifex dispensare. Ratio est, quia reliqua impedimenta vel dirimunt, aut impediunt matrimonium jure Ecclesiastico, & sic potest Pontifex in tali jure dispensare; vel dirimunt, aut impediunt jure naturali secundario, ut *Votum*, & *Sponsalia*, & potest Pontifex in utroque dispensare; nam potest ex rationabili causa Pontifex, cui Deus dedit potestatem ligandi, atque solvendi, nomine ipsius Dei, cui facta est promissio, seu votum, cedere juri acquisito, & remittere debitum contractum per votum; qua remissione facta, cessat per sublationem materię lex naturalis obligans ad non contrahendum matrimonium post votum castitatis; sicut enim occisio innocentis, verbi gratia, est contra legem naturalem, si fiat auctoritate privata, secus vero si fiat Deo legem præcipiente; ita contra legem naturalem est nubere post votum castitatis, nisi facta remissione obligationis contractæ per votum; locus vero post talem remissionem; unde purificata hac conditione tollitur materia legis naturalis, quæ manet indispensabilis, & immutata.

Idem dicas de impedimento Sponsalium; illicitum enim est, & contra legem naturalem post Sponsalia contracta cum una nubere alteri; non tamen postquam aut illa cessit juri suo, aut Pontifex, in quantum summus Princeps, ex rationabili causa illi derogavit: Sicut contra legem naturalem est, usurpare sibi rem alienam, non tamen si aut Dominus consentiat, aut summus Princeps ex rationabili causa id permittat. Et eodem

dem pacto potest ex urgentissima causa Papa dispensare in matrimonio rato, prout diximus quæst. 3. art. 3.

Demum in impedimento Voti solemniter dirimente potest etiam Pontifex dispensare, quia dirimit jure Ecclesiastico, ut supra ostendimus. In matrimonio consummato dispensare non potest; Est quippe illi vetitum iis verbis Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

VI. Oppones: Quamvis de jure positivo divino sit, quod Episcopus sit minister Confirmationis, potest tamen ex concessione Papæ esse Minister etiam simplex Sacerdos: Pariter de jure divino est, quod Sacrificium fiat sub utraque specie; & tamen nonnulli putant posse ex Papæ dispensatione fieri in sola specie panis sine consecratione calicis in locis, ubi vinum vix potest reperiri. Præterea Residencia Episcopi est de jure divino; & tamen potest Papa in illa dispensare; ergo quamvis impedimentum ligaminis sit de jure divino, potest tamen in eo Papa dispensare ex rationabili causa; ut scilicet Rex Catholicus, verbi gratia, qui uxorem habet sterilem, ducat secundam, adhuc prima vivente.

Respondeo, Impedimentum Ligaminis non esse de jure divino positivo, sed de jure naturali secundario; sicut de jure naturali secundario prohibetur, ut diximus, occisio innocentis; unde solus Deus potest in utroque casu dispensare; Pontifex autem nec in jure naturali dispensare potest, ut est certum, nec in jure divino positivo; quia Inferior non potest dispensare in lege Superioris.

Ad ea, quæ obijciuntur, respondet primo Suar. lib. 10. de legibus cap. 6., Episcopum ex institutione divina esse ministrum Confirmationis, non absolute, sed ordinarium; atque adeo non dispensat in tali lege Pontifex,

quando in casu extraordinario id committit Sacerdoti simplici. Ad id, quod additur de Sacrificio, communissime negant, posse auctoritate Pontificia in una tantum specie offerri. Quod si concedatur, id explicandum est per modum interpretationis doctrinalis, non per modum dispensationis in lege divina; Nam ex institutione divina solum habetur, quod debeat offerri Sacrificium Missæ in lege Evangelica; quod autem sub utraque specie offerri debeat, videtur potius esse ex lege naturali dictante, quod Sacrificium Deo offerri debeat integrum; Si tamen in aliquibus locis esset inopia vini, juxta nonnulorum sententiam posset Papa declarare, quod præceptum naturale de integre consecrando non se extendat ad talem casum. Demum sitne Residencia Episcopi de jure divino, an non? alias examinavimus, diximusque, quod sicut de jure divino est observantia voti; & tamen ex causa rationabili potest Pontifex in eo dispensare, quippe qui vices Christi gerit in his, quæ passim occurrunt; nec aliter posset gravibus incommodis occurrere, si Pontifex non posset in votis dispensare, ac juramenta relaxare: Eodem modo, quamvis de jure divino sit Episcopi residentia, poterit Pontifex data rationabili causa similiter nomine Christi, cujus vices gerit, dispensare; seu verius in his casibus interpretaretur mentem divinam, ut dicemus etiam quæst. 1. art. sequentis.

VII. Quæritur secundo; An possit Pontifex dispensare in radice matrimonii invalide contracti; videlicet efficiendo, quod proles ex matrimonio invalido nata legitimetur, tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia, perinde quasi nata esset ex legitimo matrimonio?

Respondeo, omnes concedere, quod possit Papa legitimare prolem

in ordine ad effectus omnes Ecclesiasticos, & spirituales; nimirum, ut possit suscipere Ordines, Beneficia, &c. Dubium solum est, An possit legitimare relate ad effectus civiles, & temporales, verbi gratia, relate ad succedendum in Paterna hereditate. Et sane quod non possit id Pontifex directe, omnes concedunt; Docent tamen multi cum Sanch. lib. 8. disp. 6., quod possit id indirecte: Ratio est, quia radix illegitimationis saepe est lex Ecclesiastica statuens impedimentum dirimens, verbi gratia, inter consanguineos; sed Papa potest in tali lege dispensare, antequam matrimonium contrahatur: ergo post matrimonium contractum, & prolem natam poterit etiam Papa dispensare in iis, quae consequuntur prolis illegitimationem; seu poterit Ecclesia veluti destruere legem suam, ex qua effectus illegitimationis consequuntur, & sic indirecte prolem legitimare: Ad eum modum, quo sine simonia potest indirecte alienari per venditionem consecratio Calicis, vendendo directe solam materiam Calicis consecrati.

Sed probabilius id negant Con., Hurt., Perez, Molin. disp. 44. sect. 5.; quia Pontifex efficere non potest, ne indirecte quidem, ut matrimonium, quod fuit nullum, non fuerit nullum: ergo quamvis possit Pontifex hic, & nunc tollere inhabilitates canonicas, & dispensare in illegitimatione relate ad effectus Ecclesiasticos, qui pendent a sua voluntate; non potest tamen relate ad effectus civiles, & temporales, habilitando illegitimum ad officia temporalia; cum hi effectus non subjaceant potestati Pontificiae. Quod autem ne indirecte quidem possit id efficere, probatur; quia intantum potest, verbi gratia, praecipere indirecte actum internum in susceptione Sacramentorum, inquantum potest directe praecipere actum

externum suscipiendi Sacramenta; & intantum potest indirecte alienari per venditionem consecratio Calicis, inquantum potest directe vendi materia Calicis consecrati; ergo pariter intantum posset Pontifex tollere indirecte effectus civiles illegitimationis, inquantum posset directe tollere impedimentum Ecclesiasticum, ratione cujus matrimonium fuit invalidum, & proles illegitima; atqui quamvis Pontifex id possit, antequam matrimonium contrahatur, tamen post matrimonium invalide contractum non potest amplius tollere impedimentum, nec efficere, ut matrimonium non fuerit invalidum; cum non detur potentia ad praeteritum, nec possit fieri, quod fuerit validum id, quod fuit invalidum; ergo non potest Pontifex in radice matrimonii indirecte dispensare post matrimonium invalide contractum.

VIII. Quæritur tertio; An possit Episcopus in aliquo casu urgentissimo dispensare in impedimentis matrimonii dirimentibus, in quibus Papa probabiliter dispensaret, si posset ad ipsum recurri?

Respondeo cum Sanch. lib. 2. disp. 40., Con., Less., Hurt., Perez, Rebell., & aliis contra Sotum, posse ex tacita concessione Pontificis Episcopum pro foro conscientiae dispensare in aliquo impedimento occulto; quando scilicet matrimonium bona fide contractum est, & sine scandalo non potest fieri separatio, aut differri dispensatio sine evidenti periculo peccandi. Ratio est, tum quia incredibile est velle Papam in tali casu sibi dispensationem reservare cum gravissimo animarum periculo; tum etiam quia ea est praxis, & consuetudo, quae est optima legum interpretis, & sufficit ad acquirendam jurisdictionem, ut notat Perez disp. 46. sect. 6.: tum demum, quia Episcopus potest con-

contra jus commune aliquid statuere, modo id faciat ex evidenti, & necessaria causa, quæ Superiorem ad id concedendum moveret; argumento *l. hominem ff. Mandati.*

Notandum tamen, quod quia in hoc casu ex Pontificis præsumpto consensu Episcopus dispensaret, debet matrimonium esse bona fide contractum ab alterutro saltem ex contrahentibus, & cum requisitis proclamationibus; Aliter non potest præsumi consensus Pontificis; quia faveret audaciæ, & iniquitati: ut colligitur ex Trident. sess. 24. cap. 5.

Majus dubium est; An possit etiam Episcopus dispensare in iisdem impedimentis in casu necessitatis ante contractum matrimonium?

Respondeo, id etiam concedi a Salas, Hurt., Pont., Sanch. loc. cit.; si tamen necessitas sit urgentissima: Verbi gratia, si mulier jam parata ad nuptias contrahendas, dum confitetur, deprehendat impedimentum dirimens, & sine infamia non posset nuptias differre; vehemens enim suspicio oriretur alicujus criminis in confessione detecti, si femina vellet nuptias differre, quousque a Papa dispensationem obtineret. Ratio est, quia juxta communem sententiam Doctorum apud Sanch. loc. cit., potest Episcopus in lege Pontificis, aut Concilii dispensare urgente necessitate: Et ideo Henr. Silvest., Navar., Angel., & alii apud eundem Sanch. docent, posse etiam Episcopum dispensare in voto simplici castitatis (quod est reservatum Papæ) in casu necessitatis; quando scilicet magnum urget periculum incontinentiæ, nec potest consuli Papa, vel ratione paupertatis, vel quia periculum grave est in mora.

Et ratio a priori est, quia lex omnis Pontificia ordinatur ad charitatem, & ad rectam Reipublicæ gubernationem, cum data sit illi a Christo

Domino potestas condendi leges in ædificationem, & non in destructionem, ut loquitur Apostolus: esset autem contra Charitatem, & contra suavem Ecclesiæ gubernationem velle Pontificem reservare sibi potestatem dispensandi etiam in casu tantæ necessitatis.

Hinc communiter docent, quod possit Episcopus in casu impedimenti absolvere ab excommunicationibus in Bulla Cœnæ; quamvis in ea Bulla dicatur, quod nemo præter Pontificem possit ab iis casibus absolvere extra mortis articulum. Solum in *cap. Mulieres, de Sententia Excommunicationis in 6.* dicitur, quod impediti adire Papam pro obtinenda absolutione ab excommunicatione ob percussione[m] Clerici contracta, possint ab Episcopo absolvi; & subditur ratio talis permissionis; ne scilicet impediti adire Pontificem careant remedio absolutionis: quia tamen hæc ratio militat etiam pro censuris in Bulla Cœnæ, & pro aliis Pontifici reservatis; ideo communiter Doctores docent, quod possit Episcopus in casu impedimenti ab omnibus omnino censuris absolvere; ergo poterit pariter in casu nostro dispensare in impedimentis matrimonii.

Notandum tamen cum Perez, facile occurri posse necessitati casus adducti, si scilicet fœmina illa, quæ deprehendit impedimentum dirimens, voveat castitatem ad tempus, Verbi gratia, per mensem, & publicet, obstrictam esse Voto castitatis, (tacendo tamen, quod tale votum sit ad tempus, ne velint, quod ab Episcopo petatur dispensatio) & iustum sibi esse a confessario, ut a nuptiis abtineat, donec a Papa dispensatio in eo voto obtineatur; & interim posset occulte peti dispensatio in vero illo impedimento dirimente, quod in confessione deprehendit.

IX. Quaritur ultimo; An possint etiam Religiosi Mendicantes dispensare aliquando in aliquo impedimento matrimonii?

Respondeo, nonnullos docere, quod a Leone X. concessum iis sit privilegium ad dispensandum cum illis, qui scienter, vel ignoranter contraxere matrimonium cum impedimento affinitatis occulto, nec deducto in iudicium. Communiter tamen id negant cum Rodriq., Henr., Perez disp. 46. sect. 7., quia tale privilegium nec extat, nec est in usu. Solum a Pio V. concessum est Franciscanis privilegium, ut possint dispensare in foro conscientiae ad petendum debitum cum iis, qui consanguineum, vel consanguineam sui conjugis post matrimonium carnaliter cognoverunt; quo privilegio gaudent etiam Patres Societatis, ex concessione tamen Patris Provincialis. Præterea conceditur Mendicantibus, ut possint dispensare cum Infidelibus ad fidem conversis, qui tempore infidelitatis contraxerunt matrimonium in gradibus solo jure Ecclesiastico prohibitis, ut in eo permanere valeant. Verum, ut advertit Perez, talis concessio data est ad superabundantiam; quia matrimonium contra leges Pontificias tempore infidelitatis contractum est validum, ut supra diximus; unde nulla indigent dispensatione huiusmodi Infideles; immo peccarent, si matrimonium vellent dissolvere.

ARTICULUS II.

De Causis ad Dispensationem requisitis.

- I. Ut sit valida dispensatio Inferioris in lege Superioris, satis est, quod causa probabiliter reputetur sufficiens.
- II. Valide Legislator, quamvis illicitè dispensat sine causa cum subdi-

is suis. At secummet in tali lege etiam invalide dispensat.

III. Peccat mortaliter, qui in re gravi sine causa dispensat in lege Superioris; Sicut etiam qui talem dispensationem petit; & qui ea utitur.

IV. Qui vero in propria lege sine causa dispensat, probabiliter peccat solum venialiter; sicut etiam qui petit talem dispensationem, & qui ea utitur.

V. Plures enumerantur causa, ob quas peti potest dispensatio in impedimentis matrimonii.

VI. Ad dispensandum in impedimento Voti duplex causa a Doctoribus assignatur.

VII. Quanam sit causa sufficiens, ut dispenseur in impedimento Sponsalium?

I. **Q**uaritur primo; An dispensatio legis universim requirat causam, ut sit valida?

Respondeo, & dico primo, invalidam esse dispensationem Inferioris in lege Superioris, si fiat absque legitima causa. Ita communiter cum Sanch. lib. 8. disp. 17., Perez disp. 49. sect. 2. Probatur, quia intantum potest Inferior dispensare aliquando in lege Superioris, inquantum præsumitur hic, & nunc necessitate urgente, quod Superior concedat Inferiori talem facultatem; atqui non præsumitur, quod velit Superior concedere facultatem dispensandi sine causa rationabili; ergo dispensatio isthæc sine rationabili causa est invalida.

Hinc sequitur primo, Episcopum sine iusta causa invalide dispensare tam in votis, quam in lege Pontificia, puta in lege jejunii.

Sequitur secundo, Papam invalide dispensare in voto, aut iuramento sine legitima causa: Sicut enim si Oeconomus, vel Procurator remittat debita, quæ debentur suo Domino sine